

SACRA CONGREGATIO  
DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

**S**ACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS, attentis supplicibus litteris Praepositi Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Magni Cellarii, cum pependent uberes fructus a Facultate Theologica Ss. Theologiae a Jesu et Joannis a Cruce in Urbe, eiusdem Ordinis Alumnis reservata, perhissimis adlaborantibus Magistris, per viginti septem iam annos a canonica erectione, tam quamprimum in primis nominibus sana doctrina scientifice inveniendis informandisque, tum praeclearo theologiae praecipue Asceticae et Mysticae thesauro ad Divi Thomae Aquinatis rationem methodum et principia dilucidando augendo providendo valq; andoque feliciter laetos, ut laudatum Theologorum studiorum domicilium, quater centenaria recurrentis Reformationis Resistantiae celebratione, merita notetur laude et ad laetiores attingendas sequas in annos exerceatur, delatas sibi preces libenter excipiens, potestate a Ss. mo. D. N. IOHANNI DIV. PROP. P. XXIII sibi concedita **FACULTATEM THEOLOGICAM Ss. THEOLOGIAE A JESU ET IOHANNIS A CRUCE IN URBE PONTIFICIA** titulo honestat atque decorat, omnibus ipsi acquisitis tribuisque iuribus privilegiis honoribus atque officiis, quibus studiorum Universitates vel Facultates hoc iustae titulo fruantur vel frui poterunt, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Seminariis et studiorum Universitatibus, die XXIII m. maii, in Assensione D. N. I. C. P., anno reparatione salutis MCM LXIII.

FRANCIS

SECRETIS

+ Mariae etc.

327

SACRA CONGREGATIO  
DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS, attentis supplicibus litteris Praepositi Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Magni Cancellarii, cum perpenderit uberes fructus a Facultate Theologica SS. Theresiae a Iesu et Ioannis a Cruce in Urbe, eiusdem Ordinis Alumnis reservata, peritissimis adlaborantibus Magistris, per viginti septem iam annos a canonica erectione, tum quamplurimis tironibus sana doctrina scientifice imbuendis informandisque, tum praeclaro Theologiae praecipue Asceticae et Mysticae thesauro ad Divi Thomae Aquinatis rationem methodum et principia dilucidando augendo provehendo vulgandoque feliciter latos, ut laudatum theologorum studiorum domicilium, quater centenaria recurrente Reformationis teresianae celebratione, merita notetur laude et ad laetiores attingendas segetes in annos excitetur, delatas sibi preces libenter excipiens, potestate a SS.mo D.N. IOHANNE Div. Prov. Pp. XXIII sibi concredita, FACULTATEM THEOLOGICAM SS. TERESIAE A IESU ET IOANNIS A CRUCE IN URBE « PONTIFICIO » titulo honestat atque decorat, omnibus ipsi agnitis tributisque iuribus privilegiis honoribus atque officiis, quibus studiorum Universitates vel Facultates hoc auctae titulo fruuntur vel frui poterunt, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Seminariis et studiorum Universitatibus, die XXIII m. maii, in Ascensione D.N.I.Ch., anno reparatae salutis MCMLXIII.

PRAEFECTUS  
J. Card. Pizzardo

A SECRETIS  
† Dinus Staffa

## SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

EPISTULA REV.DO ADM. P. PRAEPOSITO GENERALI O. C. D., FACULTATIS NOSTRAE THEOLOGICAE MAGNO CANCELLARIO, DECRETUM TRANSMITTENS DE COLLATIONE TITULI « PONTIFICIAE » EIDEM FACULTATI THEOLOGICAE.

Protoc. 513/63/9

Romae, d. d. 23 m. Maii a. D. 1963

*Clar.me ac Rev.me Domine,*

*quas nobis detulisti preces benevole cum perpenderit, hisce ad Te mittere laetamur Decretum, hac ipsa die datum, quo Facultatem Theologicam Ss. Teresiae a Jesu et Joannis a Cruce, sapientibus curis Tuis concreditam, PONTIFICIO titulo exinde decorari statuimus.*

*Non una ratione moti, dilectam Facultatem huiusmodi honore afficiendam volumus. Quinque enim elabentibus his postremis lustris, non semel Sancta Sedes sacrorum istud studiorum domicilium laudibus extollendum duxit, tum ob filialem iugem Pontificiis normis eiusdem adhaesionem, tum ob diligenter ab ipso servatam scientificam methodum in sacris disciplinis tradendis promovendisque.*

*Nobis liceat, Clar.me ac Rev.me Domine, hisce Tecum quaedam recolere quae, ad istam quod attinet Facultatem, et Sacrae huic Congregationi gaudio sunt, et insigni Carmelitarum Discalceatorum Ordini non modico cedunt merito.*

*Cum, die 16 Julii 1935, B. M. V. de Monte Carmelo sacro, felicitis recordationis Pius Papa XI Facultatem Theologicam in aedibus Collegii Vestri Internationalis erigere decrevit, eam, prouti decuit, duplici titulo ac glorioso patrocinio decoravit SS. Parentum restaurati Carmeli Teresiae a Iesu et Joannis a Cruce. Quod sane non sine provido divinae sapientiae consilio gestum fuisse liquet, cum, horum ipsorum Sanctorum ope, immensum « Doctrinae thesaurum... Spiritus Sanctus universae Ecclesiae comparaverit » (Pius XII, All. Magis quam, (A. A. S. 43 [1951] 734), adeo ut in sacris disciplinis edocendis, ac praecipue in Theologia spirituali ascetica ac mystica, ambo*

*exsistant et proponantur magistri ac patroni perillustres. Iure namque merito Sancta Teresia « Spiritualium Mater » conclamatur, eoque titulo ipsius effigies in S. Petri Vaticana Basilica designatur, eiusque veluti munus in Ecclesia agnoscitur. Sanctus vero Ioannes a Cruce, Doctor totius Ecclesiae sollemniter renuntiatus fuit ab ipso felicitis recordationis Summo Pontifice Pio XI, die 24 mensis augusti 1926, utpote qui scripta ediderit « quasi superno lumine illustratus », quae « tanta spirituali doctrina pollent, atque ita ad intuitum legentium aptantur, ut merito codex et schola animae fidelis videantur, quae perfectiorem vitam aggredi studeat » (A. A. S. 18 [1926] 380). Quibus duobus « fulgentissimis astris » proculdubio accensenda est insignis illa Mystici Doctoris discipula, Sancta Teresia ab Infante Iesu, Lexoviensis, ad instar « angeli custodis Collegii » vestri internationalis ab eiusdem Instructionibus anni 1945 (n. 203) venerata, cuius spirituales doctrinam tam amplissime dilaudaverunt atque commendaverunt Summi Pontifices Benedictus XV (A. A. S. 13 [1921] 449-450), Pius XI (A. A. S. 17 [1925] 211-214), Pius XII (A. A. S. 46 [1954] 404-407).*

*Gloriosa haec spiritualis cognatio, dum totius reformati Carmeli familiam singulari decore exornat, Facultatem Sacrae Theologiae tantorum patronum titulo ac tutela insignitam, ad uberiores fructus doctrinae theologicae ac spiritualis impensius excolendos summopere urget. Quae cum ita sint, Sacrum hoc Dicasterium, cui summo pretio semper fuit et est illa sacrae theologiae provincia quae gratiae divinae arcana vitaeque spiritualis semitas sive asceticas sive mysticas pandit, ad huiusmodi studium Vos allicere unquam destitit.*

*Ceterum, inter traditones Ordini Vestro iamdiu sacras atque in dies succrescentes, nec minus gloriosa, nec tenuius dilaudanda nobis visa est illa quae cultum, doctrinam, magisteriumque Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis Vobismetipsis praeprimis insequenda sancivit. Qua de re, sane, Summorum Pontificum documenta auscultasse non sufficit, sed exsequi. Perenne et inconcussum stat evangelicum Domini monitum: « qui autem audit et non facit, similis est homini aedificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illius est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna » (Lc. 6, 49). Tot enim sacrae militiae tirones, quos*

*Mater Ecclesia praeclara doctrinae lumina super candelabrum ponenda sperabat, miserabundo sane modo in errores atque vanas novitates prolapsos fuisse, ea una de causa quod solido fundamento in philosophicis, theologicis, moralibus disciplinis plane destituti, sana videlicet Divi Aquinatis doctrina, valde dolendum est.*

*Quapropter quis non laetis oculis gratoque animo perlegat normam a Constitutionibus Vestris iam inde a saeculis statutam: « Praelectores nostri ceterique Fratres universi opiniones male fundatas et novitatem praeseferentes deponant, et S. Thomam sequantur; ita ut Philosophiae rationalis ac Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem Praelectores nostri omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant » (n. 296).*

*Nec secus illa quae in Statutis Facultatis Vestrae praescribuntur: « ...veritatibus fidei expositis, et ex Sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur. § 2. Quae in § 1 de institutione ad Angelici Doctoris principia atque doctrinam statuuntur, sancte servantur ad normam Litterarum Encyclicarum Leonis Pp. XIII « Aeterni Patris » d. d. 4 augusti 1879 et Pii P. XI « Studiorum Ducem » d. d. 29 iunii 1923 » (n. 38). Quibus, inter alias, utpote peculiari nota dignae, addendae sunt Litterae « Doctoris Angelici » a S. Pio X die 29 iunii 1914 Motu proprio datae (A. A. S., VI [1914] 336) et Sacrae huius Congregationis Declaratio diei 27 iulii 1914 (A. A. S., VI [1914] 384).*

*Sicut et in novissima Vestra Ratione Institutionis a. 1958, ubi canonem universo Ordini Vestro praefixum subsumens, statuit: « Aquinate autem duce et magistro theologia methodo positiva simul et scholastica, quae dicitur, tradatur, ita nempe ut, praelucente authentico Ecclesiae Magisterio, Divinae Revelationis fontes accuratissime congruisque subsidiis adhibitis perscrutentur indeque hausti veritatis thesauri clare exponantur et efficaciter vindicentur » (n. 214). Ubi tandem eadem Ratio Institutionis praelectores adhortans prosequitur: « Satagant autem Praelectores doctrinam auctorum nostrorum, praeprimis Salmanticensium, notam habere et opportune ex-*

ponere » (ibid.). *Neminem enim latet theologos Salmanticenses O. C. D. inter nobiles D. Aquinatis discipulos computari, una cum Caietano, Ioanne a S. Thoma, ceterorumque glorioso Commentatorum comitatu.*

*Quapropter ut Facultas vestra, quae annos iam XXVII ab erectione feliciter explevit, quaeque spectabili delectorum voluminum copia propriam bibliothecam adauxit, ad enixius in dies adlaborandum, ductum Apostolicae Sedis filiali sinceroque animo sequendo, Divique Thomae vestigia premendo, opportunum duximus ut, recurrente celebratione quater centenaria Reformationis teresianae, titulo Pontificio auferetur et insigneretur, ita ut iamnunc et deinceps nominetur et habeatur PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA SS. TERESIAE A IESU ET IOANNIS A CRUCE IN URBE. Quam utique ob rem, insertum Decretum, uti iam diximus, expediendum curavimus.*

*Nos itaque iam non manet, nisi fervida iterataque vota nuncupare, ut Pontificia Vestra Facultas, tanto signata honore, priorum Carmelitici Ordinis Magistrorum vestigiis inhaerendo, immo et merita aemulando, Sanctam Ecclesiam in aevum laetificet, tum supernae salutis fructibus quamplurimis Christifidelibus ditando, tum asceticas mysticasque scientias atque disciplinas, praeunte Divo Thoma, copiose illustrando et augendo.*

*Dominum enixe precatus, ut, intercedentibus Facultatis Patronis, Te, Facultatis Praesidem Officiales atque Professores, necnon omnes nunc et olim Alumnos, cunctosque qui Facultati provehendae quomodolibet adlaborant, inintermisso caelestium bonorum imbre largiter infundat, magna qua par est observantia, laetus permaneo.*

*Tibi in Christo Jesu addictissimus*

JOSEPHUS Card. PIZZARDO

† DINUS STAFFA, a secretis